

nerviis margine sæpiùs floccoso valdè undulatis apice flexuosis, caulibus 1-2 monocephalis folia radicalia non multùm superantibus apice non incrassatis, involucri basi sublanati phyllis 8 lanceolatis acutis flosculis marginalibus luteis subbrevioribus, acheniis mucronato-echinatis in rostrum eis triplò brevius apice lanatum abruptè attenuatis, pappo sordido achenium cum rostro æquanti.

Hab. in *Armeniâ* propè *Erzeroum* cl. Huet du Pavillon.

Caulis 8-10 pollicares, folia radicalia 2 $\frac{1}{2}$ -3 lineas, caulina infernè 6-7 lineas lata, capitula magnitudinis eorum *T. Orientalis*. Achenium cum rostro 7-8 lineas longum. Hæc species collo vaginato ut *T. stenophyllum* donata ab eo fabricâ foliorum et involucri phyllorum longius differt et aptius propè *Tr. latifolium* collocanda quod collo non fibroso, foliis non heteromorphis, caule ramoso aliisque distat notis.

TRAGOPOGON PLANTAGINEUM Boiss. et Huet.

Tr. radice verticali cylindricâ, collo vaginis in fibras crassas tandem solutis vestito, caule humillimo folioso monocephalo, foliis glabris multinerviis margine scabridulis radicalibus oblongo-lanceolatis basi attenuatis caulinis e basi rotundatâ oblongis omnibus breviter attenuato-mucronatis, pedunculo lanato apice subincrassato foliis supremis breviori, involucri phyllis 8 lanceolatis margine undulatis acutis flosculos luteos æquantibus, acheniis....

Hab. in *Armeniâ* propè *Elidja* cl. Huet du Pavillon.

Planta ex unico specimine nota habitu valdè singularis. Caulis vix semipedalis capitulum magnitudinis *Tr. pratensis* sed angustius ferens. Folia radicalia 3-3 $\frac{1}{2}$ pollices longa 10-15 lineas lata, folia caulina 3-4 inter se approximata bipollicaria subrecurva 12-13 lineas lata. Acheniis ignotis incerta affinitas sed prob. propè *Tr. latifolium* collocandum quod cæteris neglectis collo non fibroso et foliis lanuginosis differt.

Obs. *T. Cælesyriacum* Boiss. Diagn. N° 11 re accuratiùs perpensâ *Tr. eriospermo* Ten. inter omnes species generis magis affine videtur, ab eo staturâ pumilâ, pedunculis vix incrassatis, involucri phyllis quinque tantùm differt et verosimiliter hujus tantùm varietatem sistit.